NONNULLA DE PALUDIEUS AD MEDICINÆ LAUREAM ASSEQUENDAM...

Pietro Rossetti



NONNULLA

DE

PALUDIBUS

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

PETRUS ROSSETTI



PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINI

1842.



Dimesso il labbro, enfiato il viso e bianco
Quivi nel tedio di sua vita breve
Strascinar vedi per la cólti il fianco
L'arator, che il malvagio aere si beve,
Fino a quel dì, che travagliato e stanco
La illacrimata fossa lo riceve,
Non ben rasciutto pe' figliuoli il pianto,
E per la moglie che moriagli a canto.
Poco il signor vi stanzia, e tra per colpa
De' morbi, ond'è quel popolo distrutto,
Tra perch'egli i cultor tribola e spolpa,
Scarso all'ampiezza delle terre è il frutto ....

Gio. Torti. *La Torre di Capua.*

Praecipuas investigare rationes, quibus paludes efformantur; mala detegere, quae hominum saluti struunt, de modis ad innumera ipsarum damna praecavenda tutioribus quidquam disserere, opere praetium putavi. Quod, melius quam a me fieri possit, absolvam.

Quid paludis vocabulo intelligi debeat omnium primo exquirendum. Vocis etymon ab eo explicandum esset, quod aqua in paludibus *paululum in altitudinem, et palam latius diffusae sint.* Adsunt qui a graeco παλαιος, *vetus*, illud desumere malunt, quasi palus sit aqua inveterata Et reapse duplex haec etymologia optime convenit cum variis paludum definitionibus, quas legimus apud auctores *Palus*, juxta *Monfalcon, est quaedam telluris species, plus minusve extensae, cujus solum conflatur materiebus argillosis, organicisque substantiis, praesertim vegetabilibus, et ad superficiem aquis stagnantibus coo-*

peritur. — Stagnantes vero illae sunt aquae, quae detentae intra sola ima, minime decurrunt, earumque superficies vix aliquando ventis crispatur.

Paludes, si *Lancisium* consulimus, aquarum congeries essent, magnam quidem latitudinem, paucam vero profunditatem referentium, quae non tantum lutoso solo fere immobiles haerent, sed substantiis quoque organicis, vegetabilibus et animalibus, insectis potissimum, semifibus, herbisque contaminantur; ex quorum autem corruptione ipsae, aestivo praesertim tempore, foetidum spirant odorem.

Expedit paludis nomen non solum aquis tribuere, quae pene immotae propriis locis perenniter manent, sed coenosis quoque terris, quae humiditatem undique mittunt, simulque aerem inquinant.

Quibus paludes definiendi modis clare patet, illis, praeter amplas, et vix profundas aquarum, utplurimum immobilium, organicisque materiebus frequenter putrescentibus refertarum, collectiones, merito accenseri posse etiam foveas, lacunas, cloacas, stagna et similia.

Ab hujusmodi aquarum superficie effluvia se se exigunt, quae discriminantur a censu miasmatum, siquidem haec habentur utpote corporis humani aegrotantis emanationes. Effluvia sunt particulae perquam minutae, quae a locis, aquis stagnantibus coopertis, emergunt, et quae rectius *emanationes paludosas* appellabimus, ut distinguantur a putridis, quae ab animantibus vita destitutis evolvuntur. Particulae

tenuissimae, quae emanationes paludosas constituunt, detinentur in solutione a vaporibus aqueis, qui unicum ipsi vehiculum praebent; plerumque evadunt invisibiles, sed identidem paludibus exeunt sub specie vaporis densi et obscuri, saepenumero absque odore, perraro odoris invisi, fere semper insipidae, at plus minusve abundantes pro aquarum stagnantium indole, pro aeris statu atque temperie.

Ex plurimorum auctorum observatione edocemur paludes provenire posse ab aquarum pluvialium lapsu in loca ima atque inclinata; a fluminum inundationibus, marisque irruptione, praecipue si aquae ejusmodi sint quantitatis, ut solum omnes absorbere nequeat, et praeterea evaporare non valeant, aut non ita decurrant, ut alio transferantur. Obstaculum opponunt aquarum excursioni materies ab ipsis transvectae, in quibus multarum plantarum germina reparantur, quotiescumque evolvuntur novae plantae, earumque decompositione, quamdam soli quantitatem efformant, ad tallurem submersam erigendam.

Ubi pallus se se effermaverit duplici sub intuitu medicorum attentionem deposcit. Namque I. Aquae stagnantes, tempore praesertim aestivo, magnam aeri humiditatem evaporatione impertiunt. — II. Quum substantias organicas contineant, ipsarum emanationes peculiarem sumunt characterem, quoties tuno vegetabilium, tum animantium decompositio contingat.

Varia etiam se se offert humi paludosae natura. Quandoque enim turbosa videtur; quandoque tellure

vegetabili, et haud raro argillae marnaeque cumulis, nec non sabulo, lapidibusque constat. In paludibus porro plantae gliscunt, quae prorsus diversae evadunt, prouti aquae vel dulces vel salsae sunt. In aquis dulcibus praeter scirpos, juncos, et caregias, succrescunt nimpheae, plantana aquatica, massa surda palustris (tipha) ranunculus palustris, arundo, phelandrium aquaticum.

In paludibus vero salsis prospere adolescunt salsolae, et salicorniae. Fere omnes paludum plantae exhibent ingratum adspectum; nonnullae sunt innoxiae, aliae porro perutiles.

Prope aquas desides pratorum pascua scatent. Medica paludum Flora perpaucis constatur vegetabilibus, quorum pleraque naturae virulentae et causticae; talia sunt ranunculus sceleratus, colchicus, iris flava aut acorus, cicuta, plantana aquatica etc.

Populi, salices, betulae, quercus et fraxini sunt arbores in locis paludosis delitescentes

Ast praeter vegetabilia, plereque etiam corpora ex regno animali in paludibus offendere frequens est. Neque aliquem fugit quanto libenter, sub calore praesertim aestivo, in illis nidulentur multiplices insectorum species, et prae aliis culices, qui, in quavis fere palustri aqua, numero admodum ingenti procreari solent.

Inter conchylia univalva et bivalva recensentur perplures cochleae generum planorbis, et maximus lumnaeas, et paludina.

Aquas desides incolunt inter batrachos, multa bufonum et ranarum species, rana exigua, salamandrae, protei, sirenaeque. Inter ofidia, vipera, coluber ranisa, serpens amiroldus, coluberque luminibus orbus, aut parvis oculis donatus.

Inter aves aquarum desidum, quae stationes non permutant, dignoscuntur vigiliae, et perplures falconum species; ibidem quoque immorantur volucres permultae, venatoribus jucundissimae, uti anates, mergi, columbi, scolopaces, fulicae, hyrundines, et similia. Habeatur aves advenae olores, anseres, grues, ciconiae etc.

Lutra et mus aquaticus sunt ii dumtaxat, qui ubera sugentes paludes incolunt.

Publicae saluti noxiae non paludes solum, verum et stagna reperimus; praesertim si exigua sit aquae quantitas, vel si exsiccentur aeris calore, aut piscationibus arescant.

In stagnis copiosae piscantur tincae, carpi, lupi, aliique pisces, et ab ipsorum solo ad prata redacto, optima copiosaque equis ovibusque obtinentur pabula.

Oryzae cultura hominibus in ipsam incumbentibus perniciosa evadit, non solum ex aeris insalubritate, sed etiam ex eo, quod per magnam anni partem, nudis pedibus, in aquis laborant, et hinc febribus, contumacibusque obstructionibus afflictantur.

Lini et cannabis maceratio edit odorem narcoticum, atque virulentum, propter fermentum putre vegetabile, admodum activum atque odoriferum, et pro-

ptar emanationes noxias quae inde profluunt, quaeque febres intermittantes progignunt.

Pisces, insecta, materiae vegetabiles, quae cum aquis vel fluvialibus vel maritimis in paludes transferuntur putrefiunt, et exhalationes, quae inde exurgunt, luctuosissimos exercent influxus.

Maris aqua, ait Monfalcon, veneno inficeret totius orbis atmospheram, nisi jugiter agitaretur tum a ventis, tum a fluviorum impulsu, qui ibidem se se exonerant.

Antilles, *Vera Crux*, multaeque urbes meridionales novi orbis perquam insalubres sunt, propter earum viciniam maritimis paludibus; et *Bender Abassi*, in oris freti Persici posita, coeli inclementia, urbem prae caeteris totius universi, civibus infestissimam haberi, fama percrebuit.

Paludes in omnibus orbis regionibus inveniuntur; nec aestuantes minus, quam temperatae, quamque frigidae regiones ab ipsis inquinatae sunt, et idcirco Monfalcon tres conficit divisiones, in quibus cunctae paludes cognitae comprehenduntur; quas proprio nomine enunciat. Nos vero satius ducimus silentio praeterire, adnotando tamen, quod emanationes paludosae, majori vi actionem veneficam in calidis, quam in frigidis climatibus exercent. Attamen huic sententiae non omnino subscribendum, nonnulli auctores docent.

Quum diuturna experientia innotuerit permulta damna, maximasque populorum clades ab aquis staguantibus illatae, omnes fere physicos vehemens ra-

pait cupido inquirendi, quidnam a palustribus aquis noxii ac lethiferi effiueret, quo lues in accolas grassaretur, et qua ratione ei occurrendum, vel etiam qua industria esset praevertenda. Et in primis animadverterunt in aquarum stagnantium massis deponi radices, folia, et multas alias vegetabilium reliquias, praeter insectorum, et tantam caeterorum animantium copiam; et quamvis nonnulli veteres, nec non recentiores physici perspicerent in emanationibus paludosis insectorum miriades, quae inspiratae, formidanda mala adducebant, Jatrochemici ab astrorum conjunctione, a vaporibus sulphureis, atque salinis, et liquidorum animantium putredine, aquarum stagnantium damna derivarunt. Et postmodum detecto a celeberrimo *Volta* paludum gaz hydrogenio, id ipsum, veluti praecipua febrium intermittentium hisce in locis communium, causa habitum fuit.

An vero hoc gaz inflammabile, pro morborum, qui in paludum viciniis evolvuntur, causa habendum sit; an hujusce rei insimulandae emanationes paludosae, quum non illud, sed istae sponte evolvantur, sub judice lis linquenda.

Certum est quod gaz hydrogenium carburatum respirari potest in officinis absque ullo periculo, quin nunquam febres adducat periodicas. Hinc sustineri potest sententia, paludosas emanationes noxias reddi non ab hoc aere, verum a quibusdam particulis, quorum natura penitus nos latet. Et revera tentamina super aerem stagnantem paludum putridarum susce-

pia, sat clare ostenderunt ipsum non differe ab illo, super excelsos montes, vegetabilibus refertos, collecto. Et etiam compertum habemus nullum interesse discrimen inter emanationes locorum oryzae cultui addictorum, et consuetas telluris exhalationes. Nec harum particularum naturam, ea detegunt experimenta, quibus effluviis paludosis indoles viscosa tribuitur; neque illa, quae docent, vapores densatos paludum, quamdam amplexari materiem animalem, ammoniacam, hydrocloratem, et probabiliter etiam carbonatem sodae. Neque magis feliciter cesserunt recentiores conatus.

Nullum invenitur discrimen, jam diximus, inter aerem atmosphericum locorum celsorum, quae saluberrima habita sunt, et illum paludum magis insalubrium; ex quo autumari potest, inesse in aere, qui circumit aquas desides, principium adhuc ignotum, quod progignit tum febres remittentes et intermittentes, tum alios etiam morbos.

Non defuerunt physici qui, quum vidissent tot, tantaque tentamina incassum instituta ad naturam emanationum paludosarum inquirendam dignoscendamque, earum existentiam in ancipiti posuere.

Et fuit qui nullam distinctionem fecit inter emanationes putridas miasmaticas, et paludosas, asserens, quod cunctae, certis sub circumstantiis, a materierum animantium atque vegetabilium decompositione proficiscuntur.

Verum quum cognitae adhuc non sint neque physicae, neque chemicae qualitates; neque intima diver-

sarum specierum emanationum lethalium natura nobis pateat, omnis comparatio impossibilis evadit. Perpenditur vero, quod illud gaz, e corpore aegrotantis hominis exhalans, cum illo identicum minime habendum est, quod a cadavere, putredine jam jam correpto, emanat; neque analogiam inter exhalationes gangrenae nosocomialis, et illas cumuli materierum organicarum, quae aqua putrefiunt, extare posse credimus. Emanationes profluentes a corpore vel typho, aut febri flava, vel peste laborante, quaeque sunt vitae productum, cum illis aquarum stagnantium neutiquam confundi queunt. Neque identicas haberi fas est exhalationes paludosas, et putres; in priori enim casu substantiae organicae sub aqua putrefiunt, in secundo sub dio.

Paludum non ubique, nec semper eadem sunt effluvia. Praetereundum tamen non est, eadem organa semper affici; et si qui sunt gradus in morbis, hoc videtur magis climati tribuendum, aquis, locorum positioni, aegrorum temperamento, quam discrepanti emanationum naturae.

Nullum vitae damnum affert aerem respirare paludum, quando clarus, serenusque sit, absque odore, et quo magis calor atmosphericus angescit, licet ob hujusmodi circumstantiam effluvia sursum ingeantur copiose; sed post solis occasum, magnis se se objectat periculis, quisque in paludum vicinia versatur.

Nonnulli opinantur emanationes se se attollere posse ad quadringenti, vel quingenti metra, et se se diffundere ad finitorem ad ducenti vel tercenti. Ast quo-

ties aer sit agitatus, in regionibus aequatorialibus, extenduntur usque ad 1500 metra, quemadmodum multa facta testantur. Et aliquot loca reapse insalubria evadunt, quod ventos eo transfert malignas aquarum exhalationes.

Eadem atria, quae in nobis salubri patefiunt aeri, ita et sordido aperta sunt. Unde paludosa effluvia atmospherae, vaporibus soluta ponuntur in contactu cum nudis partibus cutis, et membranarum mucosarum, aut aere in pulmonibus excipiuntur, aut aere, una cum alimentis in vias gastricas; et posteaquam absorpta fuerunt, suam exerunt actionem morbosam super oeconomiam animalem.

Penetratis hisce emanationibus in aeconomiam animalem, labitur tempus plus minusve diutinum, anteaquam febris periodica evolvatur. Nonnulli, qui corruptum aerem respiravere, repente nauseam perpessi sunt, aut delirio correpti. In aliis infirmitas se se patefecit die secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, et in paucis ad decimam et duodecimam.

Duplicem in organismo, palustres emanationes, actionem exerunt, physiologicam nempe, et pathologicam.

Physiologica in illis modificationibus consistit, quibus organismus subjacet, ob consuetum harum particularum lethalium influxum. Talis actio modum affert peculiaris existentiae incolis regionum paludosarum, profundeque distinctum veluti characterem imprimit

super constitutionem physicam hominis, caeterorumque entium organis praeditorum.

Si excipias vegetabilia aquatica, arboresque, qui in locis udis bene gliscunt, caeterae plantae nocumentum patiuntur, et illae praesertim, quibus alitur homo; quamvis non sat probatum sit, utrum inauspicatus cerealium exitus, et plantarum oleosarum vitium ab emanationibus palustribus pendeat, vel ab aere, aut inconcinnitate soli.

Etiam animalia humilis sunt staturae, parumper valida, et rachitica videntur. Ruminantia, quum alimonias ad nutritionem fere ineptas nanciscentur, carnes suppeditant aqueas, insipidas, parumque nutrientes.

Generaliter ingentes quadrupedum species in locis palustribus fatiscunt, et soboles, quolibet decennio, renovandae sunt, et prima quoque generatione deficiunt. Ambigendum porro non est atmospheram, solumque plagarum palustrium tum hominum, tum aliorum animantium multiplicationi adversari.

Homo autem palustrium regionum incola, parvam habet staturam, maleque efformatam, et fere semper reperitur proportionis defectus in cavitatibus splanchnicis. Cutis ipsius est subtilis, coloris albi caerulei, cum maculis coloris terrei. Pinguedinis loco, secernitur serositas, adeo ut corporis superficies evadat oedematosa; venter tumescit; crines sunt flavicantes, cinerei, barba perexigua, et flavescens; ocyus super vultum rugae apparent; oculi sunt obscurati, intuitus tristis, absque expressione, aut ubique perlegitur aegritudo,

apathia, segnities; vox rauca, gutturalis; motus praepediti, lenti; pubertas retardata, precox adventat senectus. Generationis potestas parum evadit energica. Inter trigesimum et quinquagesimum annum febres endemicae exacerbantur; obstructiones, chronicae flemmaxiae viscerum, et hydropes cito progrediuntur. Constitutio incolarum locorum palustrium vix irritabilis est, quum parvus vigor extet in ipsorum nerveo systhemate; musculorum autem systhema debile se sistit; eodemque tempore nimia lymphatici evolutio oculis observatur, quando caetera languescunt. Varices, herniae, pedesque plani in vicinia aquarum desidum crebro occurrunt.

Incola regionum palustrium munditiem, quoad personam, non dignoscit; inconcinna utitur habitatione, et alimentis, potionibusque insalubribus, et aqueis, ubi insunt permulta animalia infusoria, vescitur; fere numquam vinum epotat, aliosque fervidos liquores; insuper parumper industrius, imo socors, non providus, ignorans, pervicax, absque commiseratione; deceptor est, et simulator. Ignorantia summa hominem non solum stupidum, verum etiam pravum reddit. Crimina hisce in regionibus crebriora sunt, et praemeditantur.

Terminus vitae medius incolarum prope paludes statuitur viginti aut viginti duo annorum, et populi numerus etiam atque etiam imminuitur; dum contra in illis augescit plagis, in quibus paludes de medio

sublatae fuerunt, et plantationes invectae sunt. Defunctorum numerus, recens natorum exsuperat.

Connubia in locis paludosis sunt frequentia, quia alimoniae abundantia promoventur, nec non laboris, mercedisque consecutionis certitudo. Sed mors saepe, citoque haec succidit vincula, et major recensetur numerus mulierum viduarum iterumque nuptarum, quam hominum. Effectus autem emanationum palustrium in illis, qui accersiti aut ob militiam, aut alia de causa, illa derelinquunt loca miserrima, et magis auspicatum eligunt domicilium, cessant.

Sed praeter physiologicam, emanationes paludosae, pathologicam quoque actionem in organismo exercent. Si quis per loca coenosa iter facit, vel longam in iis locis moram trahat, si aquis, fructibus, oleribus sub eodem coelo natis utatur, aeris lue corripitur, indeque conflictatur quandoque febri remittenti, quandoque dysenteria; neque dubitandum est horum malorum emanationes causam esse.

Si autem corpus sit proclive ad noxias sentiendas effectus, uti in iis contingit, qui palustres inhabitant plagas, impressio necessario majori cum violentia fieri debet, et summum vitae periculum obtingere.

Refertissimae sunt medicorum historiae luctuosissimis epidemiarum descriptionibus, quae hinc inde per totum orbem debacchatae sunt, nulla alia de causa, nisi ob paludosarum exhalationum pravitatem exortae.

Venetiae anno 1535, Codonia 1652, Belgius 1691, Balneoregius 1707, Ferraria 1728, Lugdunum Bata-

vorum annis 1667, 69, 79, aliaeque permoltae civitates terribilia perpessae sunt.

Multis in Hetruriae Urbibus morbi epidemici ingruerunt hac sola de causa, quia neglecta fuit cisternarum expurgatio, in quibus linum et cannabis macerabantur, unde exoriebantur epidemiae Urbevetanae, et Ferentinenses.

Ex praedictis nobis firmiter deduci posse videtur, aquarum stagnantium emanationes edere febres intermittentes et remittentes, et tum ipsas majorem activitatem praeseferre, ubi calor augescat.

Ast non solum febres periodicae, ab influxu emanationum palustrium proficiscuntur, verum etiam morbi systhematis lymphatici, scorbutus, chlorosis, physconiae, glandularum infarcta, hydropes, ulcera ad crura, flemmaxiae chronicae cutis, rachitis, scrophula, phtisis.

Ex quibus omnibus luculenter patet quantum perniciosae sint aquae palustres, quae porro pro ratione admixtionis, et molis aquarum, tum etiam pro anni temporibus, positoque regionis, ac denique habitu, victuque incolarum et advenarum perniciosiores fieri possunt.

Aggrediar nunc postremam argumenti partem, illam nimirum, quam in subjungendas tutiores cautiones, ut impediatur quominus paludes noceant, et in potiora enumeranda auxilia, ad quae contra malos earundem effectus confugere praestat, expendere debemus. Est autem haec operis utilior pars, eaque negle-

ata, nullum ferme ex hucusque relatis haberetur emolumentum.

Monendum in primis, quod sollicitas curas impendere oportet, ut paludes, quemadmodum fieri potest, omnino exsiccentur. Promptior enim haec est, ac securissima via, qua illarum noxa penitus praeverti queat. Et reapse multis observationibus, quarum plures Lancisius collegit, edocemur palustria loca miram soli fertilitatem, aerisque salubritatem adquirere, coenosis aquis exsiccatis. Quod si, ob immensam, quam palus refert, latitudinem, vel ob directam ejusdem, atque profundam, cum ingenti quodam aquarum fonte comunicationem, nullo modo arescere possit, tunc quidem ea in usum vocari debent, quae paludum damnis minuere saltem valent, quaeque deinceps breviter trademus.

Sed quoniam non omnes paludes una eademque methodo exsiccari possunt, nam diversa locorum et aquarum stagnantium vis atque natura, diversam pariter ad easdem exsiccandas postulat artem, atque industriam, mei videretur nunc esse muneris ea saltem de modo siccandarum paludum ostendere, quae nefas esset a sapientibus medicis ignorari, verum quum nimis longum hoc vastissimum pertractare argumentum esset, sic, si quis nonnulla de hac re scire cupit, adeat *Prony*, *Perthuy*, atque celeberrimum *Torricelli*, et *Fossombrone*.

Tempus vero exsiccandi paludes opportunissimum erit vero initium, plerumque finis hyemis, dum audax

non minus, quam periculosum esset consilium, eas sub veris finem exhauriendi, ac sub aestatis initium; effluvia enim, hoc praecipue anni tempore, deteriora assurgerent tam ex superstita limo, quam ex ipsa palustri aqua, accolarum saluti valde infensa. Coenum autem, quod post emunctam paludem, detegimus, ne noxium evadat, quamprius fieri potest, penitus extrahi, et vel rapidia undis committi, vel amplis in proxima tellure fossis sepeliri debet. Quandoque per noctem tuto tantum potest, scilicet ne corrupta et vitiosa effluvia, aestu urgente, vel sub dio spargantur, et per apertas domorum fenestras facilem aditum habeant in hominum praecordia.

Arborum plantationes apud paludes perpenduntur sub intuitu constitutionis melioris soli culturae, et sub illo valde momentoso, salubritatis nempe publicae. Anteponendae illae erunt plantationes, quae in locis udis succrescunt, ut salices populique. Dabitur autem opera ne plantationes nimiam in atmospheram humiditatem detineant, et ne impediant beneficam aliquot ventorum actionem. Cunctae destruantur praeterea reliquiae vegetabiles, herbae, radices, arborum rami, folia in paludibus existentia. Si oryzae siccae cinarum cultus adeo nequeat extendi, ut substitui possit oryzae sativae, sollicitudo saltem habebitur, ut minus funestum in homines influxum exerceat.

Lini, cannabisque maceratio minus profecto noxia esset saluti publicae, quoties fieret in fluentibus lymphis. Verum quum experientia ostenderet magis pro-

desse in desidibus aquis, et idcirco quum hae praeferantur, animadvertatur saltem utilitas operiendi fossas, vix ablato cannabo, linove in maceratione detentis, et festinari glutinis decompositionem per cineres et carbonatem calcis.

Remanet ut quaedam exponantur hygieneticae leges, quae vivendi genus moderari debent hominum, qui, ex necessitate, palustres colunt regiones, ut inter minora discrimina eorumdem haereat salus.

Princeps meretur respectus ipsa habitationis exstructio. Vitruvius, Varro, Columella et Palladius interdixere domûs erigi prope paludes; verum si id oporteret, necesse est ut domus in locis elatioribus aedificentur, plures in iis aperiantur fenestrae, paludem, si possibile est, directe haud spectantes, atque faventium ventorum accessum libere admittant. Sunt autem crebro purissimis aquis expurgandae, eorumque vitiatus aer saepe corrigendus ignis ope, vel aliis adhibitis praesidiis, quibus pravas dejiciendi atmospherae exhalationes facultas passim tribuitur.

Ne corpus ad morbum suscipiendum majorem offerat dispositionem, sedulo cavendum est a quovis nutrimentorum abusu. Hinc nimio victu opleri stomachus numquam debet, neque tamen nimis diu vacuus servari. Cibi nutrientes seligantur, digestu faciles, acidis conditi. Liquores fermentati, vinum, cerevisia, spirituosa parca absumpta, proficere solent. Est autem omni sollicitudine aquae puritati studendum.

Paludum incolae curabunt obtemperare insensibili

perspirationi, cutis functiones protegendo. Nimias amoris voluptates evitabunt. Laboribus rusticis non incumbant ante diurnam lucem; vitetur nocturnus aer. Nimius corporis motus fugiendus est, modica tamen corporis exercitatio perutilis evadit. Lancisius admonet, ut plagarum palustrium accolae se se abstineant a deglutienda saliva. Ptyalismum ex mercurialibus Monfalcon commendat contra emanationum paludosarum influxum. Educatio horum habitatorum tam physica, quam intellectualis atque moralis promovenda est. Prophylacticum denique remedium est animi tranquillitas et laetitia. Choreae, paganalia, ludique propositi fuere, utpote peropportuni ad minuendos funestos palustrium emanationum effectus.

Mihi liceat tandem Cornelii Celsi huc verba transferre, ut omnem breviter complectamur prophylaxim, qui inquit:

« *Vitare oportet fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem: tum neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum, minimeque post cibum. Cum vero haec in omni pestilentia facienda sint, tum in ea maxime, quam austri incitarint.* » ad quod genus, Lancisius ait, noxiae paludum adspirationes referuntur.

Oh! utinam in regionibus paludosis sapientissimi humanissimique existerent artis salutaris asseclae, qui ruralem medicum a celeberrimo de Balzac depictum totis viribus sequi non dubitarent!

THESES DEFENDENDAE

1. *Non innumerae, sed rite institutae observationes, veram sistunt medicam experientiam.*
2. *Haud raro hypochondriasis causa lectio librorum de rebus medicis pertranctantium.*
3. *Ex variis anni temporibus constitutio organismi nonnullas subit modificationes.*
4. *In manu medici, reapse talis, non datur venenum.*
5. *Prostratio virium non semper a debilitate pendet.*
6. *Ex solis docimasiis, quamquam diligentissime institutis, evinci semper absque dubio non possumus, foetum in lucem vivum exisse.*
7. *Febrim, sic dictam nervosam, qui initio profligare nescit, raro sanat.*
8. *Venusta praestansque corporis humani forma quamplurimum ab educatione pendet.*
9. *Chirurgia laesarum partium, quantum concedi potest, conservatrix, artis divinae nomen jure meretur.*

10. *Empirismi popularis studium aliquando medicum ad validiora invenienda remedia ducit.*

11. *Oculus tum corporis tum animi status, speculum sistit fidelissimum.*

12. *Degeneratio sanguinis putrida in organismo vivo contingi non potest.*

